Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 45
Quelle:
Copyright:

Strigon. circa an. 1385. exaedificasse *Aedem Corporis Christi* tradit *Nic. Schmitth* in *Archiepp. Strigon. P. I. p. 210.* an vero illuc referendum etiam *Collegium Christi*, quod potius Contubernium Juventutis scholasticae innuere videtur, ignoro.

XXXIII.

R. 2236 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 299. f. max. per duas columnas luculente perscriptus, rubricis distinctus et omnium Librorum initiis auro coloribusque splendidis, olim Bibliothecae Episcopatus *Neostadiensis* est Pars I. S. *Bibliorum* vulgatae interpretationis, ad quam sequentia observo. Gaudet ubique Praefationibus *Hieronymi* et consuetis Argumentis. Epistola ad *Paulinum* in plures Sectiones divisa est, quarum quaevis inscribitur: *Alius prologus. Fol.* 218. post *L. Nehemiae* sequitur *liber secundus esdre*, nempe tertius apocryphus. Post *L. Job fol.* 255. p. 2. haec minio: *Iste psalmus ideo non habet tytulum. quia capiti nostro domino saluatori de quo absolute dicturus est nihil debuit preponi. Sanctam enim eius incarnationis vitam impiorumque ultionem insinuat.* Expectas *Psalterium?* Sequitur: *Beatus vir qui non abijt in consilio. Parabole salomonis.* Codices Biblici, qui *Psalterio* careant, haud admodum sunt infrequentes; quo vero consilio Rubricam hanc adpinxit Librarius? Post *Salomonis* Libellos: *Et sic est finis prime partis byblie.*

XXXIV.

Codex membraneus ejusdem R. 2237
rationis Folior. 299. cultu pauperior, incipit a IV. *Prophetis majoribus, minores, Machabaeos*que omittit. *Quatuor Evangeliis* subdit *Actus Apost. Epistolas Canonicas*, ubi *Job.* I. c. 5. Testimonium triplex ita confusum est: *quoniam tres sunt qui testimonium dant sicut in celo tres sunt. pater et uerbum et spiritus sanctus et tres unum sunt*; et *Apocalypsin.* Tum demum leguntur *Paulinae*, quas excipiunt notae illae *Interpretationes hebraicorum nominum*, et in summa ora *pag. ult.* habetur: *Anno domini M°. CCCC°. 39. factum est istud.*

XXXV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3299
XV. Folior. 429. f. per duas columnas nitide exaratus, coloribus, et picturatis initiorum literis illustratus *Sacra Biblia* vulgatae interpretationis complectitur consuetis *Hieronymi* Prologis, et Argumentis instructa. Adest *Liber III. Esdrae. Psalterium* loco motum post *Prophetas* repositum est, et ad calcem habet Syllabum reliquorum Canticorum sacrorum. Ante *Machabaeos* Praefatio illa duplex *Rabani Mauri. Epistolis Pauli* ad *Coloss.* et *Thessalonic.* intercepta est spuria ad *Laodicenses. Actus Apost.* sequuntur *Paulinas.* Testi-

moni-